

Cap. XXXI. Rubrica de iure reddendo paysanis. Et qui sunt paysani. Et de sacramento eorum.

Ordinamus quod paysani civitatis Tergesti sunt et intelliguntur esse a terra Pirani et a civitate Aquileie ac etiam a Vualdis¹⁾ citra versus Tergestum, computatis etiam in hiis civitas Aquilegie et dicta terra Pirani. ¶ Insuper ordinamus quod dominium Tergesti facere debeat dictis paysanis, scilicet habitantibus a supradictis confinibus citra, consimilem rationem quam ipsi paysani fatiunt // seu facerent civibus Tergesti. ¶ Et si aliqua persona habitans a dictis confinibus citra pecierit coram dominio Tergesti ab aliqua persona aliquam rem, et talis persona rea probare voluerit aliquid cum sacramento ipsius persone petentis vel aliquod capitulum, tunc talis persona agens personaliter venire debeat Tergestum, et coram dominio Tergesti iurare super petitis et capitulis productis per partem adversam. ¶ Si vero aliquis forensis habitans ultra Acquilegiam et terram Pirani ordinaverit et fecerit aliquem suum legitimum procuratorem coram dominio Tergesti in petendo aliquam pecuniam vel aliam rem contentam in aliquo instrumento vel precepto alicui civi vel habitatori Tergesti, et persona cui petitum fuerit probare voluerit cum sacramento creditoris solutionem dicti debiti vel rei in parte vel in toto, et si per partem peteretur in iure creditorem comparere debere in iure ad iurandum super petitis, quod tunc per dominium Tergesti mittantur littere creditori ad locum ubi habitaret, vel per dominium Tergesti dari debeat sacramentum eidem procuratori talis creditoris vel substituto ab eo in animam ipsius creditoris, si est sibi solutum de petitis in parte vel in toto, prout videbitur dominio convenire.

¹⁾ Stat. 1365: *a vallis*.